

Bucelinus Part. 2. Tom. I. Germ. Sacr. p. 37.

**G**ANDERSHEIM *Regium* omnino Virginum Benedictinarum Cœnobium in Ducatu *Brunsvicensi*, & ejusdem nominis oppido situm, quod sub Anno Christi 842 LEUTOLPHUS *Magnus Dux Saxonum* condidit, S. *Alifridus* Hildesheimensium Episcopus dotavit, & exin maximi Cæsares opibus & favoribus mirè extulerunt. Submisère se in hoc Cœnobio Augusti Sangvinis plurimæ Principes, & abjectæ esse in domo Dei elegerunt, tantâ contentione admitti cupientes, ut plurimis seculis nemini nisi maximis Principibus accessus pateret. *Otto 2.* Imperator binas filias *Sophiam* & *Adelheiden*, ibidem Domino consecraret, ipsius Fundatoris filia memorabili exemplo tres omnino ibidem se includerent. *Brunsvicenses* denique aliæ *Saxonia* Principes adeo portas sancti Cœnobii exambirent, ut amplissimos præ illius vitæ professione Principatus contemnerent, in quo egregia cum primævo fervore viguit disciplina.

## ADDENDA

AD

*ANTIQUITAT. GANDERSHEIM.*

CAP. XIII. §. 2.

No. I.

*Privilegium Papæ AGAPETI II.*

**A**GAPETUS Episcopus Servus Servorum Dei. *Windilgardis* Abbatissæ venerabilis Monasterii Candersheim, constructi ab Ottone Comite de Saxoniâ, aliisque suæ fortis Abbatissis in perpetuum. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ conservationis auctoritas in privilegiis præstandis minimè denegetur. Igitur quia postulavit à nobis Hathumarus venerabilis Abbas, ut per ejus interventum atq; deprecationem nostrum monasterium *Canderesheim* sedem juxta fluvium *Eternam*, apostolica autoritate vobis confirmaremus, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Domino authore deservimus, ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hanc nostram auctoritatem id quod exposcitur, effectu  
man.